

& exercentes, unum quid nuncupari solent. Hæc omnia benè quadrant in Ecclesiam. Ea siquidem **UNA** est **DEFINITIONE**, quia eòdem definiuntur modò Ecclesiæ tùm Orientales, tùm Occidentales, tùm Australes, tùm Septentrionales, quod sint **COETUS HOMINUM VOCATORUM AMPLECTENTIUM VERBUM DEI, ET RECTE UTENTIUM SACRAMENTIS.** Una & **NUMERO** est Ecclesia. Neque contrarium multitudo & varietas Ecclesiarum per orbem terrarum dispersarum suadet; illæ namque omnes simul sumptæ, unius Ecclesiæ sunt membra, unumque Ecclesiæ Catholicæ constituunt corpus. Quid? Nonne Ecclesia est corpus Christi? Ephes. IV. 11. & seq. *Idem verò dedit alios quidem Apostolos; alios verò Prophetas; alios verò Evangelistas; alios verò Pastores & Doctores. In instaurationem sanctorum, in opus ministerii, in adificationem corporis Christi: usque dum perveniamus omnes in unitatem fidei, & cognitionis Filii Dei, in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut non amplius simus infantes, fluctuantes & circumlati omni ventò doctrina, per defraudationem hominum & astutiam, ad ambages erroris. Contra sine fuco existentes in dilectione crescamus in ipsum quoad omnia, qui est Caput, Christus: Ex quò totum CORPUS probe coagmentatum & coherens per omnes juncturas subministrationis juxta efficaciam in mensurà unius cujusque partis, augmentum corporis faciat, in adificationem sui ipsius in dilectione. Et Coloss. II. 19. Et non tenens caput, ex quò totum CORPUS per juncturas & vincula, subministratum & compactum*

compactum